

Vel eo etiam hoc loco à nobis commemorandus, quòd post Carolum M. & S. Henricum nullus Regum & Imperatorum Ecclesiam Paderbornensem majori liberalitate dotatam auxerit, quàm Conradus Salicus Imperator. Ut non immerito tertius hujus Episcopatus conditor haberi possit: quemadmodum hæc ex ijs, quæ in Meinwerco diximus, satis constare poterunt.

In hoc itinere, cùm funus secundum Rheni ripam duceretur Moguntiam, Henricus Rex præclaro diplomate Brunoni Mindensi Episcopo Andernaci omnia jura & privilegia confirmavit. Id quia posteritatis memoria dignum, vel ob id etiam, quòd in eo incolas diœcesis Mindensis Francos liberos legas, hic adjungimus.

In nomine sanctæ et individua Trinitatis, Henricus divina favente clementia Rex. Omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum cognoscat industria, qualiter Bruno Episcopus sanctæ Minden Ecclesiæ in honore sancti Petri principis Apostolorum, et sancti Gorgonii constructæ, in nostram attulit presentiam piissimorum antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum scripta, in quibus continebantur, qualiter ipsius præfatæ Ecclesiæ res cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum receperunt Mundiburdio ac defensione, precatusque est Serenitatem nostram, ut hoc ipsum à nostræ regalis potestatis consensu fieri non recusarem. Nos autem ob amorem Dei nostræque animæ remedium, nec non pro regnorum stabilitate, prædecessorum nostrorum mores sequentes, et ejus benignitati assentientes, ita fieri decrevimus. Præcipientes ergo ut nullus iudex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, vel quæ deinceps in jura ejus divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda, mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ, francos liberos et Ecclesiasticos litones, maalmann vel servos cujuslibet conditionis, seu colonos contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, aut bannum, si ve heribannum, seu ea, quæ supra memorata sunt, ab illis penitus exigere præsumat; hominibus quoque famulatum ejusdem Ecclesiæ facientibus prædictum Mundiburdium constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, et advocatis ejus, quos ejusdem loci Episcopus elegerit. Insuper etiam bannum nostrum, et monetam teloniumque si ve macellum publicum ibi construi licere, et quidquid ad nostram potestatem pertinere videbatur, eidem Ecclesiæ donavimus. Quidquid vero fusus exinde sperare potuerit, pro æterna remuneratione dictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum et luminaria continuanda concessimus. Et per se Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat imperio, et sub nostra constet defensione, uti ceteræ regnorum nostrorum Ecclesiæ, et Episcopi, quatenus ipsum fratresque ejusdem loci pro nobis dominum melius et jugiter orare delectet. Concessimus quoque eisdem fratribus licentiam eligendi inter se pastorem dignum et idoneum, salvo tamen Regis si ve

Henricus
III privi-
legia Ec-
clesiæ
Mindens-
is confir-
mat.